



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Parthenus Ep. 7. Februarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

7. Feb.

classici instar habuit. Itaque cum manè Deorum signa è suo larario obtulisset Imp. velut adoraturus hæc in adyta abstulit. Ibi ille & Jovis fulmen, & Martis Palladisque hastas, & Veneris faces Cupidinisque arcus omnibus gigantibus fortior solus fregit, & quia aurea erant omnia aut argentea, ridiculos Deos pauperum prædam fecit. Hi cum ulcisci non possent ipsi sese, Licinius & se, & illos ulturus, in crucem agit THEODORVM, ferro transfadigit. Inde puerile agmen sagittis suis scopum geminum, geminum Divi oculū accipit. Sed reddidit hos oculo suo Angelus, & è cruce exsolvit. Mox ad gladium damnatur. Hunc ubi forti jugulo excepit, rude Superi donarunt. *Ex Metaphr.*

Si dignum Dominus pati duxit, pati servum quomodo videtur indignum? Erramus, erramus: qui non facit quod jussit Dominus, gratis sperat, quod Dominus promisit. S. Pet. Chryl. serm. 28.

S. PARTHENIUS EP. 7. Februarii.

PUER PARTHENIVS piscatum exercuit, & lucrum pauperibus cessit. Sed neque piscator desit esse Sacerdos & Pontifex inauguratus, nisi quod prædam jam nobiliorem (animos) Deo transcriberet. Porro Stygi jam inde ab anno octavo decimo fuit meruendus. Et profectò vix alius fuit, qui sapius orcum expugnavit; ut quocunque jam pedè suum ferre PARTHENIVM, inde referre suum malum dæmonem cerneret, etiam è sedibus, quas olim & multus insederat. Et fortè eum ex homine nescio quo proscriptum ibat, cum mitius aliquantum inferno exilium, porcorum corpora hic rogavit. Plus etiam indulsit PARTHENIVS, & si hoc modò cederet, hospitium alterum in ho-

mine ostensurum se appromisit. Ille verò in has leges lubens lætusque migravit, fidemque mox pacti fœderis exegit. Hic PARTHENIVS potestatem sui facturum, aperto oris ostio hospitem invitavit. Nec tulit modestiam superbus, abiit potius ad veteres lares patriaque regna, inferos. Jam verò edita vaticinia, excitæ lacrimis pluvix, messis in agro sterili, uvæ in deploratâ jam vineâ, redditi sedibus suis oculi, pulsî morbi, & reducti ad vitam mortui librum non pagellam in libro desiderant. Omnia tamen hæc vel oleo fecit sacro, vel aquâ, vel sale, ex quo si vel micam haberent hæretici, non equidem hæc riderent. *Ex Surio.*

Quando moriuntur virtutes, vivunt vitia: illa militant adversus militem Christi; ista sunt Sathanae cohortes, ista Diaboli legiones, ista sunt quæ Mundum sepulchris obsederunt, debellarunt populos, vastârunt gentes, orbem duxere captivum. S. Pet. Chryf. serm. 12.

S. MARINA VI. 8. Februarii.

Mulierem sub togâ, imò virum sub mulieris simulachro ostendimus. Rectè dixeris, sive MARINAM, sive MARINVM dixeris. Nam MARINA quidem nomen parens dedit, cum nata est, ubi verò ad Asceterium secum abduxit, cum veste nomen viri indidit, jussitque MARINVM esse, metamorphosin cælo ridente. Patre ergo magistro Asceticen edocta, hoc mortuo, ægerrimè scilicet orco fecit; cum mulier improba tela virili veste repelleret, & per sanctissimam larvam cæcum puerum Amorem rideret, unica virgo tot inter viros jam tutior quàm inter virginum nuper choros. Nempe ubi vulnere locus non est, invidia est. Cum vitium virgini non posset hostis facere, fecit